



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Sect. VII. Expeditiſimus modus defendendi dari Iuſtitiam Dei ad hominem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

dendi Patris Suarez, si addatur, quantumcunque creatura rationalis habeat jus ad primum, non tamen posse eam esse rationabiliter invitam, ut Deus tanquam supremus Dominus hoc dominii sui jure utatur, sed dicere debet cum Heli 1. Reg. 3. Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat. Sicut enim ob hoc supremum dominium potest animam, etiam innocentem addicere penis æternis, licet non sub conceptu pœnæ: hæc enim semper supponit culpam, ita & quavis pœnæ rescindere potest sine cujusquam injuriâ, cum jus omne creatum sit essentialiter subordinatum juri divino. Ut tamen breviter aperiam quid sentiam, & quo pacto hac in re procedam, sit

Pœna & cruciatus quomodo differant.

SECTIO SEPTIMA.

Expeditissimus modus defendendi, dari justitiam Dei ad hominem.

I. Obligatio justitiæ Deo non repugnat.

DICO primò: Verus & proprius conceptus justitiæ, & obligatio stricta, orta ex jure creaturæ rationalis non repugnat Deo. Hæc conclusio jam superioribus sectionibus est probata.

II. Jus creaturæ non impedit conceptum justitiæ in Deo.

DICO secundò: si jus creaturæ juxta dicta Sect. 4. num. 6. & Sect. 5. num. 6. & 7. situm sit in promissione Dei & opere à creaturâposito, uti revera in his situm est, ut locis citatis ostendi, Deus de facto obligatur ex justitiâ creaturæ rationali. Hanc conclusionem latè etiam probavi sect. quartâ, & quintâ. Et sanè mirum est, quosdam admittentes, ut admitti necessariò ad omnibus debet, Deum ex pacto & meritis ab hominibus positus teneri ad dandam iis gloriam, negare nihilominus hanc esse obligationem justitiæ, quia est in Deo: quod perinde est ac si quis diceret, esse in Deo partes extra partes facientes molem, & tamen non esse corpus, quia sunt in Deo; aut animam rationalem educi ex potentia materiæ, non tamen generari, quia est substantia spiritualis.

Quidam nò satis consequenter hac in re loquuntur.

III. Deus posito pacto, & obligatione standi primum, nullus res amittit dominium.

DICO tertio: Et si jus hominis ad primum sit quid creatum, & consequenter adequatè Deo extrinsecum, nihilo tamen fecius potest Deus obligari ex justitiâ ad rem pacto promissam, nec hoc faciendo quidquam amittit de perfectio gloriæ, aut rei alterius promissæ dominio. Ratio est; dominium quippe est potestas disponendi de re aliqua quoad omnes usus possibiles, sed negatio præmii, meritis promissi, est quid omnino impossibile, & Chimæra, non minus, imò multò magis, si in impossibilibus detur magis & minus, quam ut homo sit equus; implicat enim Deum non dare quod ex pacto & contractu promissit; esto namque latissimum sit illius dominium & potestas moralis, ad Chimæras tamen non extenditur, sicut nec ad eas extenditur potentia ejus physica, licet sit infinita, & omnia complectens. Ad quam rem appositissimè S. Chryostomus Homilia 66. Non condemnabimus, inquit, hoc non posse Dei, sed justitiam & jus admittimus.

Potestas moralis non extenditur ad impossibilia, magis quam potestas physica.

S. Chryostomus.

IV. Ostenditur, Deum nihil unquam perdere vel physica potentia, vel moralis.

Objicies primò: Semel habuit Deus jus ad negandam gloriam: ergo si jam non habeat, aliquid dominii sui perdidit. Contrà: semel potuit Deus producere durationem hesternam, nempe heri, hodie non potest: ergo aliquid perdidit suæ potentie. in eadem formâ argumentum. Respondetur itaque, Deum nihil perdere, vel physica potentia, vel moralis, sed sicut nunquam habuit potentiam

producendi durationem hesternam hodie, & in sensu composito, seu eam cum hodierno die conjungendi, ita nunquam habuit jus ad gloriam in sensu composito promissionis & operis expleti; seu meritorum, negandam, cum non minus hoc sit impossibile, quam hesternam aut crastinam durationem producere hodie. Duratio ergo hesternæ, & negatio gloriæ sunt simpliciter possibiles, in his circumstantiis utraque eodem modo est impossibilis.

Deus in his circumstantiis nunquam habuit jus negandi gloriam.

Objicies secundò: Si Deus gloriam, quam promeritus est Petrus, eidem negaret, inferret illi injuriam; ergo non habet perfectum jus & dominium in gloriam, cum jus sit potestas moralis de re aliqua disponendi sine injuriâ alterius. Contrà: similiter si Deus contra mentem iret, peccaret, & si intellexeret per actus distinctos, mutaretur, cum tamen infinita sanctitati non minus repugnet peccatum, & infinitæ immutabilitati mutatio, quam infinito dominio injuria. Sicut ergo ex suppositione impossibili Deus ab omnibus admittitur peccaturus & mutandus, quid incommodi si ex simili suppositione admittatur injuriam illaturus. Dico itaque, non derogare infinito dominio, quod ex suppositione impossibili inferret injuriam, cum ad impossibile, ut diximus, non se extendat dominium Dei, sicut nec potentia.

V. Non obstat Dei dominio, quod inferret injuriam sub conditione impossibili.

Ad impossibile non extenditur Dei potentia.

Objicies tertio: negare gloriam Petro, est obiectum simpliciter possibile, & solum impossibile, per accidens: ergo cadere debet sub dominium Dei, alioqui ejus dominium non est perfectissimum. Contrà: productio durationis hesternæ est simpliciter possibilis, & per accidens tantum est, quod hodie nequeat produci. Idem est de creaturâ ab æterno &c. Quòd si in his casibus est divisivè hæc omnia sint possibilia, & collectivè tamen, & in sensu composito dicantur esse impossibilia, quid vetat idem affirmare de dominio? Dico itaque, licet antecedenter, & in sensu diviso promissionis & meriti, habeat Deus jus ad negandam gloriam, aut aliam rem quantumcunque, pro illis circumstantiis sit possibilis illius negatio, posita tamen promissione, & opere sub quo promittitur, expleto, redditur illa negatio omnino impossibilis. Et quoad hoc, perinde est, si Deus gratuitò tantum aliquid promitteret, sine pacto ullo vel contractu justitiæ.

VI. Negatio gloriæ, in sensu diviso promissionis & meritorum possibilis, in sensu composito redditur impossibilis.

Res eadem pro diversis circumstantiis mutat statum.

Objicies quarto: ergo potest Deus à se abdicare dominium totius Universi. Resp. Si per abdicationem dominii aliud nihil intelligatur, quam quòd obliget se ad mundum aliquem creandum ex pacto cum homine vel Angelo, ob opus condignum imito, non apparere cur hoc non possit Deus, cum unus gradus gratiæ vel gloriæ multò majoris sit valoris, & altimationis moralis, quam mille mundi. Hæc tamen est impropria locutio; nullum enim perdit Deus in mundum dominium, quod unquam habuit, ut jam dictum est; licet namque posito pacto, non possit illum non creare, nec pro tempore promisso non destruere, cum non creatio ejus & non destructio sint in his circumstantiis impossibiles, actus tamen varios posset circa eum elicere, cogere exempli gratia, hominem illum, vel Angelum, ad utendum rebus illis omnibus ad finem honestum, & honorem Dei, cum quicquid facit vel dat Deus, det & faciat ad honorem suum.

VII. Deus nullius rei se abdicare potest dominium.

Actus varios posset in hoc casu Deus circa mundum, quem creans ex pacto tenetur, elicere.

Objicies quinto: ergo & poterit Deus creaturæ jus jurisdictionis in seipsum concedere, eique obedire, sicut secundum nos concedit illi jus & dominium proprietatis. Contrà primò: in Scripturâ enim nihil frequentius, ut vidimus, quam in Deo esse

VIII. Licet possit Deus creaturæ rationali concedere jus & do-

esse Iustitiam, Obedientiâ in Deo nullum in Scri-
pturis vestigium; illud enim Josue 10. v. 14. *Obe-*
diente Domino voci hominis, omnes affirmant intelli-
gendum esse metaphorice. Patres etiam unanimi
consensu Iustitiam in Deo asserunt, negant Obe-
dientiam. Contrâ tertio: non potest Deus pro-
mittere actus Obedientiæ, sicut potest, imò & de
facto promissit mercedem, pactumque inivit &
contractus cum hominibus.

IX. Respondetur ergo: cum dominium Dei situm
sit in ejus libertate & potentia, his autem duobus
attributis nonnullam subinde ab extrinseco accede-
re videamus à rebus physicis limitationem; nec
enim durationem quamlibet & ubicationem omni
loco & tempore producere potest, nec creaturam
ullam, secundum multos, ab æterno: item si mo-
dum, ubicationem scilicet Angelicam producere
velit, necessitatur ad producendum Angelum, ut
hujus decursu Disputationis vidimus; quid inquam,
incommodi, si Deum necessitari etiam interdum
posse dicamus, & hæc duo ejus attributa simitari
à re morali, suppositâ saltem aliqua ejus voluntate
liberâ, promissione nimirum, seu pacto cum homi-
nibus inito. Deinde, per se indecorum videtur,
ut creatura imperium habeat, & cum auctoritate
præsit Deo, ut in Obedientiâ contingit, ut ait
S. Thomas 2. 2. q. 104. a. 4. corp. idemque rep-
etit articulo quinto. Præterea, quid magis ab-
sonum, quam ut Deus creaturam, tanquam supe-
riorem suam veneretur, ei que honorem & obse-
quium exhibere teneatur, quod tamen cum obe-
dientiâ connexus est, ut notat idem S. Doctor
q. illâ 104. a. 3. ad primum.

X. Quod verò Deus tanquam justus iudex mercedem,
quam ex pacto bene operantibus promittit,
largiatur, quid in se continet indecori, imò quid,
quod non maximè Deum deceat? Et si dicas, per
jus adversus alterum, fieri habentem aliquo modo
superiorem ei qui illi obligatur: primò, nullus hanc
dicit esse veram superioritatem, sed solum quia po-
test cum per leges cogere, ut debito satisficiat.
Sed neque hoc in jure, quod homo habet respectu
Dei, reperitur, qui ad pactam mercedem solven-
dam, ex intrinseca suæ voluntatis rectitudine essen-
tialiter determinatur; & si per impossibile non sol-
veret, à nullo cogi posset, nec ad alium provocare
valeret læsus, quam ad ipsam Dei Iustitiam.

XI. Objicies sextò: Si Deus modo à nobis dicto,
obligaret se homini ex Iustitiâ, fieret servus homi-
nis. At sanè miror hoc objici, quis enim ex eo
quod Rex militi alicui, vel servo domestico stipen-
dium ex Iustitiâ solvere teneatur, quis, inquam,
dixit eum fieri servi illius, aut militis servum? Imò
verò, inquis, sed si in uno se obstringere homini
ex Iustitiâ possit, poterit in omnibus, ergo fieri po-
terit hominis servus, totusque esse ad ejus obse-
quium, & in omnibus ad illius nutum stare, quod
est proprium mancipii; hoc autem quam indeco-
rum sit, quantumque in se contineat indecentiæ,
quis non videt?

XII. Sed hæc replica seipsam destruit: si enim pecu-
liaris in eo sit indecentia, ut scilicet in omnibus
Deus se homini obstringat, & per hujusmodi obli-
gationem reddatur hominis servus, & mancipium,
jam in ipsâ objectione ratio afferitur cur Deus in
omnibus se homini obstringere nequeat, indecen-
tia scilicet, quod nimirum hoc faciendo, se reddat
hominis servum, vel mancipium, quæ indecentia
in eo non est, quod se ad præmium & mercedem
hominis pro meritis largiendam obliget: imò ad
hoc, ut vidimus, de facto se obligavit. Sic etiam,

ut diximus, quamvis Rex se alteri obstringere pos-
sit ad præmium ei ob strenuè in bello navatam
operam donandum, è majestate tamen Regiâ non
est, ut ad vilia quævis se obsequia, & mancipio-
rum propria obliget; quantum enim priora Regem
decent, tantum posteriora dedecent.

SECTIO OCTAVA.

Alia quædam de Iustitiâ Dei
ad hominem.

POSTREMÒ objiciunt sanctos Patres, qui af-
firmare videntur, non dari in Deo Iustitiam
erga hominem: sic enim S. Bernardus Serm. 1. de
Annunciatione, *Neque talia, inquit, sunt hominum*
merita, ut propterea vita æterna debeatur ex jure, aut
propterea Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam do-
narat. Sic S. Anselmus in Profolog. cap. 10. *Iu-*
stus es, inquit, non quia reddis nobis debita, sed quia
facis quod te decet. Et S. Augustinus lib. 1. Confes-
sion. cap. 4. *Reddis debita, nulli debent.* Libro etiam
tertio de lib. arbitrio, cap. 16. *Deus, inquit, nulli*
debet aliquid: & postea subiungit: Quid ergo ei
prærogas, ut tanquam debitum possas? & alia id ge-
nus apud Patres subinde reperiuntur.

Sed de mente Patrum hac in re, quædam dicta
sunt suprâ, sect. 5. num. 5. quibus addo id quod
habet S. Augustinus lib. 4. contrâ Julianum cap. 3.
Deus ipse, inquit, quod abste, erit injustus, si ad ejus
regnum verus non admittitur justus. Similia repe-
riuntur apud Tertullianum, S. Chrysostomum, &
alios, qui Deum asserunt, per bona opera nostra
reddi nobis debitorem.

Tribus itaque modis intelligi possunt Patres, dum
negare videntur in Deo esse Iustitiam erga homi-
nem: primò quòd Deus merita ipsa nobis donave-
rit, per quæ titulum ad gloriam acquirimus, sicque
totum jus nostrum ex ejus benignitate & misericor-
diâ velut è radice procedit. Istud nihilominus non
impedit quin verè Deus nobis ex Iustitiâ oblige-
tur. Hoc sensu loquitur S. Augustinus de gratiâ
& lib. arbitrio, cap. 6. *Cui, inquit, redderet coro-*
nam justus iudex, si non donasset gratiam misericors
pater. Secundò volunt Patres, potuisse Deum ab-
solutè non promittere, sicque hoc etiam sensu di-
cunt tantum jus nostrum in Deo misericordiâ fun-
dari. Huc spectat dictum illud S. Bernardi suprâ
sect. 5. num. 5. ubi de coronâ loquens, seu præmio,
quod Deus certantibus promissit, *Promissum quidem,*
inquit, ex misericordia, sed ex Iustitiâ persolvendum.
Hoc ergo non tollit in Deo conceptum Iustitiam.
In quam rem pulchrè S. Augustinus Serm. 16. de
verbis Apostoli, *Debitorem, inquit, se fecit, non tan-*
tum sibi, sed & Christo, & nobis, ut illi dicere possi-
mus, Redde quod promissisti, quia fecimus quod jussisti.

Tertio tandem, ex Patribus nonnulli, dum negant
Deum per opera nostra obligari ex Iustitiâ,
ad dandum nobis præmium, sumunt opera nostra,
non ut informatâ quasi à gratiâ habituali, & secun-
dum valorem ac dignitatem, quam ab illâ hauriunt,
sed merè secundum se, & ut contradistincta sunt ab
excellentiâ, ac splendore, quem in ea gratia refun-
dit. Quo etiam sensu dixit Apostolus ad Rom. 8.
v. 18. *Non sunt condigna passionibus hujus temporis ad*
futuram gloriam &c. Et sanè, certum videtur
S. Bernardum loco num. 1. citato, de meritis no-
stris hoc sensu loqui: primò enim initio homilia
citata, ait *opera nostra non esse meritoria;* & hoc ipso
loco,

minum pro-
prietate in-
res creatas,
non tamen
jus Iustiti-
æ in se-
ipsum.

IX.
Disparitas
inter Iustiti-
am in Deo
& obedien-
tiam, cur il-
la dari in
Deo possit,
hæc non pos-
sit.

Deum sup-
positâ ali-
quâ ejus vo-
luntate li-
berâ, neces-
sitari nil
vetus.

X.
Deum ut ju-
stum iudicem
maximè de-
cet promissâ
bene operan-
tibus merce-
dem largiri.

XI.
Deus ex eo
quod oblige-
tur ex Iustitiâ
hominis,
nō fit servus
hominis.

Replica.

XII.
Peculiaris
in eo est in-
decentia, ut
Deus in om-
nibus sit ad
nutum ho-
minis.

II.
Objiciunt
Patres, qui
negare vi-
dentur dari
in Deo Iustiti-
am erga
hominem.

III.
Affirmate-
res, dari
in Deo Iustiti-
am erga
hominem.

III.
Quo sensu
negant sub-
inde Patres,
dari in Deo
Iustitiam ad
hominem.

IV.
Patres qui-
dam de op-
eribus nostris
loquuntur
secundum se
speciatim, &
non de in-
formal cum
gratiâ habi-
tuali.

Explicatio
tituli S. Ber-
nardus.